

Regnum est, cui non parata sit ruina, & proculcatio, & Dominus, & carnifex? Nec magnis ista intervallis divisa; sed bonæ momentum interest inter solium, & aliena genua.

CAPUT III.

De secundo titulo, qui ex Divino impulsu, & inspiratione colligi potest, qua Deus Hispaniæ Reges, & homines ad hunc Novum Orbem inquirendum, & acquirendum movisse videtur.

SUMMARIUM.

- 1 Reges Hispania ad Novum Orbem inquirendum, & subjugandum divino impulsu, & revelatione ducti videntur, Et num. 16.
- 2 Impulsus, inspirationis, sive revolutionis magna est vis, & de plurimis auctoribus, qui hoc latissime tractant.
- 3 Revelatione, aut inspiratione divina mediante que fiunt, non subjacent regulis ordinariis, Et numer. 12.
- 4 D. Paul. ad Rom. 28. & in aliis locis de Divina inspiratione tractantibus expenditur.
- 5 Cap. licet 18. de Regul. & cap. duæ sunt 19. q. 2. expenduntur.
- 6 Facta multa ab hominibus improbari solent, que Dei testimonio approbantur, & laudantur secundam D. August.
- 7 Cap. cum ex in juncto 12. de heretic. explicatur, Et num. 35.
- 8 Electio Roman. Pontif. & aliorum Prelatorum, qua per inspirationem fit, unde descendat.
- 9 Cap. quia propter, vers. Nisi, de electione exornatur.
- 10 Lex 21. tit. 5. part. 1. explicatur.
- 11 Romani Pontificis in electione, que forma & solemnitas ternari soleant revocari.
- 12 In inspirationis ratione ordinariæ regula excluduntur.
- 13 Samsonis factum dum se, & Philistheos in templo occidit, ex divina inspiratione, aut missione à peccato excusatur.
- 14 Moysis factum Ægyptium propria auctoritate occidit, qualiter à peccato excusetur.
- 15 Phinees cum Zambri interfecit, non peccavit, & quare.
- 16 Novi Orbis Inquisitio divino impulsu formata.
- 17 Henricus Lusitanie infans habuit expressam, & repetitam revelationem, ut navigationem, & conquestionem Indiarum Occidentalium prosequeretur.
- 18 Reges Cathol. Ferdinand. & Elisabeth divina inspiratione, & afflatu tenentem detectionem Novi Orbis, plures auctores tradunt, Et num. 29.
- 19 Antonii Posevini gravissima, & elegantissima verba expenduntur, quibus probat inquisitionem & acquisitionem Novi Orbis Divinum impulsum adfuisse, Et num. 20.
- 21 Signa plura, qua ostendunt opus, manum, & impulsivum divinum intervenisse in deteptione & conversione Novi Orbis.
- 22 Thomas Bocius, Joan. Boter. Rutil. Benzoni, & alii agnoscunt Spiritus Sancti afflatum in Alexandro VI. dum concessit Indiarum Oriental. & Occidental. conquestionem Regibus Lusitanie & Castellæ magis, quam aliis.
- 23 Christoph. Columbum ad detegendum Novum Orbem divinam spem, impulsu sive inspirationem habuisse, ex testimoniis Bocii, & aliorum late probatur, & quod fuit ad hoc afflatus & electus à Deo.
- 24 Christoph. Columbus, & socii quot, & quantos labores ope divina superaverint in deteptione Novi Orbis.
- 25 Christoph. Columb. habuit in somno mirandam visio-

- 26 Novi Orbis deteptionem & acquisitionem divinam fuisse operatam, ex precivis dispositionibus viri gravissimi conflat.
- 27 Rutili Benzoni verba gravissima expenduntur, quibus late probatur divini consilii, & impulsus argumenta in deteptione, & conversione Novi Orbis.
- 28 Indorum conversionem quæ apposita, & oportuna Deus ordinaverit tempore Reg. Catholicorum.
- 29 Nauta ille, qui dicitur Colombo notitiam Orbis Novi præstitisse, ab Angelis delatus esse ab aliquibus perhibetur.
- 30 Pat. Mag. Victoria putat, non esse securum titulum divina revelationis, & quare.
- 31 Inspirationes, & missiones, que divine esse creduntur, multoties sunt diabolice, & fallaces.
- 32 Spiritus, juxta Verbum Domini sunt probandi, an à Deo sint.
- 33 Miracula nulla, vel pauca in deteptione, acquisitione, & conversione Orbis Novi intervenisse Victoria, & alii putarunt.
- 34 Missiones, & inspirationes, que non confirmantur testimoniis Scripturarum, vel miraculorum, non sunt secure.
- 35 Verba dicit. cap. 2. de heretic.
- 36 Christus Dominus, D. Paulus, & alii tuam missionem, & predicationem ex miraculis comprobabant.
- 37 Hispanis Novum Orbem querentibus, & convertentibus aliquid cupiditatem, & curiositatem, & damna Indis illata obijciunt.
- 38 Cap. si quis præpropria, distinct. 50. expenditur.
- 39 Juxta tantum que sunt à Deo mandari, & procedere, credendum est.
- 40 Titulus divini impulsus, sive revelationis in deteptione, & conversione Novi Orbis à Victoria impugnacionibus defenditur.
- 41 Inspirationes, & revelationes non sunt respuende, quando circa res graves, sanctas, & utiles interveniunt.
- 42 Deo vocanti, & impellenti reluctari periculosum est, & seg.
- 43 Aristotelis elegans doctrina de cognoscendis divinis impulsibus, & inspirationibus.
- 44 Inspiratio deteptionis, & conversionis Novi Orbis non deturitur Scripturæ, & miraculorum auctoritate, et Victoria putavit.
- 45 Vocaciones, & inspirationes divina multis modis contingunt, & confirmantur, neque semper intraculis egent.
- 46 Miracula rara esse debent. Et cur in Novi Orbis conversione pauca intervenierint.
- 47 Indi ad tuam conversionem non tam egent miraculis, quam bonis, & prudentibus prædicatoribus.
- 48 Miracula Deus, & plurimum per viros bonos, & sanctos operatur.
- 49 Joan. Boter. sententia.
- 50 Lex 68. tit. 4. part. 1. explicatur.
- 51 Miracula aliquando fiunt à malis, & flagitiosis hominibus, & quare.
- 52 Miracula vera, & proficia nunquam fiunt ab hereticis, Magicis, & diabolicis, neque fiunt ab Antichristo, sed quedam tantum illusiones, & præstigia.
- 53 Miracula plurima, que jam præcesserunt in filii predicatione, efficiunt, ut hodie plura passim fieri, necesse non sit.
- 54 Hispanorum gloria, & pietas in detegendo, & convertendo Novo Orbe non obscuratur ex avaritia, & maleficiis aliorum militum.
- 55 Christiana professio non ideo bona, & divina esse desinit, quod aliqui inter Christianos vitiosi, & peccatores existant.
- 56 Divina sapientia laudatur ob religionem, & alia plura bona, que Novo Orbi ita brevi, & facile communicavit.
- 57 Orbis Novi deteptione, & conversio ab Hispanis magis ob zelum religionis, quam ob divitarum cupiditatem operata est.
- 58 Deus sapè solet per media humana, & aliquando hu-

- humilia, & infirma, res magnas & sanctas perficere.
- 60 Deus summa providentia disposuit Hispanorum Regum, & bonium militarium, & religiosorum animos ad conversionem Novi Orbis.
- 61 Homines multoties Dei causam agunt, dum tuam se agere putant.
- 62 Deus ex tenui principio res magnas operari, & deducere solet.
- 63 Hostis ignarus consilium exequitur Dei.
- 64 Deus etiam opera supernaturalia faciens consuetas naturales, quatenus potest, tætuat.
- 65 Miraculum illud magnum excitationis maris Rubri multa naturalia habuit.
- 66 Deus suaviter omnia disposuit.
- 67 Anni tempora cur ita Deus ordinaverit, ut inter Hiemem, & Æstivum, Veris, & Autumni benignitas interveniat.

Sed quoniam non defuturos video scrupulos aliquos Zollos, parum rebus Hispanis affectos, qui Superiorem Divinæ concessionis titulum minus plene, & secure probari contendunt, quamvis tot Sacra Scripturæ, & aliorum auctorum varietis, & testimoniis munitionem, & illustratum remaneat. Addere libet secundo loco titulum alium, qui ex divino impulsu, inspiratione, aut revelatione descendit, que, ubi intervenit, eandem celestis Numinis voluntatem plenissime aperit, & dubio procul Pissimos Hispaniæ Reges, Duces & vassallos ad egregium istud, & omni ævo memorandum Novi Orbis inquirendi, & acquirendi facinus movit.

Primum quæ enim aperte liquet ex iis, que de Divini Imperii potestate, & executione in præcedenti capite diximus, & que de vi, & effectu celestis impulsus, inspirationis, aut revelationis doctæ, & graviter disputant Justin. Martyr ad Orthodox. q. 2. & q. 246. Terull. in Apolog. c. 20. D. August. de consens. Evangelist. ex cap. 28. usque ad finem, & lib. 12. de Civit. Dei, c. 20. D. Chrysostom. homil. 18. in Joann. Bened. Perer. lib. 2. de magia & lib. 5. commentar. sup. Daniel. q. 4. Franc. Picus Mirandul. lib. 1. prænot. c. 3. & fin. Thom. Bocius de sign. Eccles. Dei, lib. 6. c. 3. pag. 213. & seqq. Mart. Delr. lib. 4. disquis. magic. c. 1. & 2. a quo habuit Franc. Torrelanca de magia divinæ lib. 1. c. 1. ex num. 30. P. Suatez in D. Thom. part. 3. q. 30. art. 1. disput. 9. scilicet 2. & novissime in tract. de fide, disp. 1. scilicet 1. n. 3. & disp. 3. scilicet 2. & 3. Simoa Majol. in dieb. Canicul. tom. 2. colloq. 2. ex pag. 89. Rutil. Benzoni de anno jubil. lib. 6. c. 19. & 25. Fr. Thom. à Jesu de procurat. omni. gent. salut. lib. 3. cap. 3. pag. 131. latissime, & eruditissime Fr. Raphael. de la Torre in 2. 2. tom. 2. q. 95. art. 3. disp. 2. per totam, ex pag. 177. & novissime P. Rosignol. de discipl. Christian. religion. lib. 3. ex c. 14. & P. Fr. Joan. Marq. in gubernat. Christi. c. 25. pag. 129. & seq.

Qui omnes, & alii ab eisdem relati concludunt, quæ, que his inspirationibus, vel revelationibus mediantibus fiunt non esse ordinariis aliarum rerum legibus, aut regulis æstimanda, juxta illud quod Paulus ad Roman. c. 28. vers. 9. Ubi spiritus Dei est, ibi libertas est: & 1. Timoth. 2. Corinth. 5. ad Hebr. 8. ad Rom. 2. Si spiritu ducimini, non estis sub lege.

Quod in optimo proposito adducit Innocent. III. in cap. licet 18. in princip. de Regular.

& Urban. III. in cap. duæ sunt 19. q. 2. ubi sic eleganter scribit: Dignior est enim lex privata quam publica, spiritus quidem Dei lex est, & qui spiritu Dei aguntur, lege Dei ducuntur, & quis est, qui Spiritu sancto possit dignè resistere? Quisquis igitur hoc spiritu ducitur, etiam Episcopo suo contradicente, erat liber nostra auctoritate. Justo enim lex non est posita, sed ubi spiritus Dei, ubi libertas, et ubi spiritu ducimini, non estis sub lege.

Idem non minus eleganter tractavit D. August. lib. 4. confess. cap. 9. ubi ait: Multa facta, que hominibus improbanda videntur, testimonio Dei approbata sunt, & multa laudata ab hominibus, Deo teste, damnantur.

Et magis in nostris terminis Innocent. III. in cap. quoniam ex iniquitate 12. de heretic. vers. Quod si forte, loquens de iis qui se officio prædicationis, & conversionis animarum imbuunt, scribit, quod sapè tales invisibiliter mittuntur à Deo, & si non visibiliter mittuntur ab homine, cum invisibilis missio multè sit dignior, quam visibilis, & divinà longe melior, quam humana.

Atque hinc descendit usitata illa, & à jure approbata forma eligendi Romanum Pontificem, & alios minores Prelatos, que per inspirationem, vel quasi inspirationem dicitur, de qua loquitur text. in cap. quia propter, vers. Nisi, de elect. ubi Abbas Hostiens. Joan. Andr. & alii, & Oldrad. consil. 155. incip. Qua de forma, optimus text. de jure nostro Regio lib. 21. tit. 5. part. 1. ubi Greg. Lopez ubi: Est electio venen por mas noble que las otras, porque no hay otro modo de las voluntades de los homes, sino solamente el Espiritu Santo. Tradit Simon Majol. in dieb. Canicul. colloq. 6. pagin. 465. Ubi omnia solemnia, que in electione & inauguratione Romani Pontificis observari solent, plene & plane recenseat.

Sunt etiam plurima alia, quæ ejusdem divini impulsus, & inspirationis ratione contra ordinarias juris regulas defenduntur, de quibus late agunt Doctores supra relati, & exemplis ex Sacra Scriptura deductis abundè confirmant. Inter quæ dignissimum relatu videri potest, illud, quod de Samson se ipsum, & populum Philistharum simul occidit, habetur Judic. c. 16. & 17. In quo factò committitur Theologorum opinio, illum minime peccasse. Nam tacita quadam Dei inspiratione, & invisibili missione ad id ductus fuisse videtur, ut tradunt D. August. lib. 1. de Civitate Dei, c. 21. D. Ambros. lib. 1. officio. c. 40. D. Thom. 2. 2. q. 64. art. 5. ad 4. & ibi Aragon. & alii, late Soto de just. & jur. lib. 2. quest. 3. artic. 8. & lib. 5. q. 1. artic. 4. ad finem. Plaza de delicias, cap. 23. num. 2. Ludovic. Lup. in instructor. 1. p. c. 65. in fin. Lessius de justit. & jur. lib. 2. c. 9. num. 33. Gomez de Mescua in tractat. de potestate, in seipsum, lib. 1. cap. 8. num. 28. & novissime Francisc. Torrelanca de magia divinæ lib. 4. cap. 31. ubi ostendit quod in Moyse factum Exod. 24. ubi narratur, propria, & privata quiddam auctoritate Ægyptium occidisse, quod Hebræum hominem acerbè vexabat. In quo licet, illum peccasse, expressè affirmet, D. Hieronym. epist. 142. ad Damas. in fine, cui assentiri videtur D. August. lib. 22. const. Faust. c. 70. & D. Thom. 2. 2. q. 61. art. ult. verius tamen esse contrarium, ut



35† cum ex Injuncto de heret. inquires: Quodd cum interioribus ista missiones, inspirationes, sive revelationes sint occultae, & incerta, non sufficit cuiquam nudè tantum asserere, quod ipse sit missus à Deo, cum hoc quilibet hereticus assereret: sed oportet, quod astruat illam invisibilem missionem per operationem miraculi, vel Scripturae testimonium speciale. Unde cum Dominus Exod. 7. vellet mittere Moysen in Aegyptum ad filios Israel, ut crederent ei, quod mitteretur ab ipso, dedit ei signum, ut converteret virgam in colubrum, & virgam iterum reformaret: Joannes quoque Baptistista speciale suae missionis testimonium protulit de Scriptura, dicens: Ego vox clamantis in deserto. Dirigite viam Domino sicut ab Isaiâ Prophetâ, cap. 40. &c.

36 Qua etiam de causa Christus † Dominus, ut suam à Patre remissionem confirmaret, septuaginta obstratis Judæis sua objicebat miracula, dicens: Si mihi non creditis, operibus credite, & iterum: Opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, & D. Marcus cap. ult. de Apostolis (inquit) profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signum: ut ostenderet, illi missioni, & doctrinæ firmitatem fore ecclestem, quam signa subsequerentur. Quod & Paulus Apostol. variis in locis de sua prædicatione testatur, & pluribus aliis Sacrae Scripturae testimoniis illustrat D. Chrysost. tom. 3. in 2. ad Corinth. Tertul. in Apolog. c. 27. Arnob. lib. 1. adversus Gent. D. August. lib. 10. de Civit. Dei. c. 12. & lib. 16. & 17. Thom. Boc. de signis Eccles. lib. 5. c. 1. Fr. Thom. à Jesu de procur. omn. gent. salut. lib. 5. cap. 3. Balth. Chavas. de notis verâ relig. lib. 4. cap. ult. & Torreblanca d. c. 29. n. 25.

Tertio idem Victoria insinuat, & alii magis aperte nobis objicere solent, videri non posse ex Dei inspiratione, sive impulsu, aut voluntate, hanc Indorum detectionem, & conversionem or-

37 dinatam fuisse, cum † in ea plurimi nostrorum tot scelera, & damna in miseris Indos commiserint, & magis auri & argenti quaerendi, Regni proprii ampliandi cupiditate, & rerum novarum investigandi curiositate, quam Dei, & animarum zelo ducti viderentur.

Pro quibus ego perpendo insignem locum D. Cypriani in sermone de lapsis, relatum † in c. si quis prepropera 27. distinct. 50. Ubi tunc demum, quæ Martyres, id est, Sacerdotes & Religiosi viri mandant, faciendâ, & sequendâ † esse tradit: Si

39 justa, si licita, si non contra ipsum Dominum à Dei Sacerdote faciendâ, sed si scripta non sunt in Domini lege, quæ mandant, ante est, ut sciamus, illos de Deo impetrasse, quod postulant, tunc facere quod mandant: neque enim statim videri potest de divina majestate concessum, quod fuerit humana pollicitatione promissum.

Verum autem verò, prædictis argumentis non obstantibus, † defendi adhuc potest vis, & auctoritas tituli, de quo in hoc capite disputamus, quem si Victoria videret tot gravissimorum Scriptorum testimoniis & rationibus comprobatum, forsitan de ejus fide non dubitaret.

41 Et ad primum respondemus, † certum quidem esse, magnum periculum, & fallaciam in his inspirationibus, impulsibus & revelationibus

imminere, non ideo tamen proprus, aut temerè damnandas, & respuestas esse, cum negari non possit, quin aliquando à Deo deriverent, maxime cum in rebus & personis scribis, & gravibus accidunt, & effectus, qui illas sequuntur, in Dei obsequium, aut communem salutem, & utilitatem alicujus populi dirigitur, ut eleganter prosequitur D. Thom. & post eum Theologi omnes, præcipue Fr. Barthol. à Medina in 1. 2. q. 9. art. 4. & q. 22. art. 3. & Cajet. 1. p. q. 82. art. 4. circa tertium argumentum. Dicit † enim D. Paul. ad Thessal. 5. Spiritum nolite extinguere, prophetiam nolite contemere, omnia probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos. Et D. Joan. Probate spiritus, utrum ex Deo sint. Cui † vocanti, & impellenti reluctari, & non obedire, quam sit periculosum, multis probat Gaspar Sanctius in Isaiam, c. 14. n. 8.

Quibus aridens † Aristot. lib. 6. Ethic. ad Eudemum, circa fin. docet: Quod sæpenumero nobis nihil cogitantibus venit in mentem cogitatio efficax, & impetuosa quæ secum trahit voluntatem, quam motionem non possumus nobis tribuere, neque in nostram inventionem referre, cum de hac re nihil nunquam cogitaverimus. Neque verò possumus eam referre in substantiam Angelicam, quæ non potest efficaciter movere nostram voluntatem. Unde talis cogitatio in Deum est reducenda.

Ad secundum autem respondeo, † hunc impulsum, missionem, sive inspirationem divinam, de qua agimus, non destitit Sacrae Scripturae testimonio, & prophetiis, si ea omnia in memoria revocemus, quæ supra c. præced. & lib. 1. c. 15. congressimus. Et multo minus miraculis caruisse, ut Victoria, & alii malè putarunt, cum potius innumera extiterint, & extent quotidie, quæ divinum hujus magni operis voluntatem, & penè dixerim voluptatem evidentè ostendunt, ut ait Ant. Posevin. ubi supra, de quibus in cap. seq. copiosè tractabimus.

Quinimò, ut darenus in hujus Novi Orbis conversione, nunc tot ac tanta miracula non operari, quot & quanta olim initio nascentis Ecclesiæ à Christi prædicatoribus facta cernuntur, ob hoc tamen divinæ vocationis vix excludi non posset, † quæ interdum signis externis, aliquando etiam interno potius impulsu fit, & sive in singulis hominibus, sive in populis, atque in ipso genere humano, per temporum opportunitates operatur, & altè & profundè ordinationis est, ut præclare tradit & Sacra pagina exemplis illustrat D. Augustin. lib. 33. quest. q. 68. & † in lib. de util. credend. ubi de eisdem miraculis agens scribit: Cur ista modo non fiunt? quia non moverent, nisi mira essent, at si solita essent mira non essent.

Et in nostris terminis loquens Joseph. Acosta d. lib. 2. de procur. Ind. salut. c. 9. & 10. Ubidocetè & eleganter hanc miraculorum paritatem, partim naturæ, docilitatis & ignorantie Indorum, quibus nunc prædicatur attribuit, qui † tot miraculis non egent, ut ad Fidei receptionem à nostris suadeantur; sed prædicatoribus tantum, quorum mores, cum fide & lege, quam annuntiant conveniant, ut optime jam olim in simili scrip. it D. Chrysostom. homil. 6. in 1. ad Corinth. † Partim ex quo ipsorum prædicatorum zelo, & merito, cum du-

ditium non sit, ut quò quis fide, & sanctitate magis emineat, eo aptius instrumentum sit, per quod Spiritus sanctus tam præclara opera perpetret, qui ad suam potentiam, & gloriam declarandam, hujus puritatis, atque humilitatis viros ut plurimum, exigit, & assumit, qui veris virtutibus, & incorruptis moribus niteant, & nihil sibi sumentes, totum Deo, cujus est omne donum perfectum, & salutis proximorum sincère refundant.

Quas rationes, Acosta non relato, ab eo desumpsit Joan. Boter. in relat. univers. 4. p. lib. 4. pag. 73. & 74. Fr. August. Davil. d. c. 80. pag. 320. addens forsitan etiam in causa fuisse, quod Evangelicæ prædicationis forma adamussim servata non fuerit. Martin. Delr. lib. 4. disquis. magic. c. 4. q. 5. sect. 2. pag. 331. in fin. Ant. Posevin. in Biblioth. 1. tom. lib. 9. c. 24. pag. 402. Fr. Thom. à Jesu, d. lib. 4. de procur. omn. gent. salut. c. 4. pag. 147. & 148.

51 Et conducit † lex nostra 68. tit. 4. p. 1. quæ ex doctrina Hostiens. in summ. de reliq. & vener. Sancti. inter reliqua, quæ ad veri miraculi comprobationem requirit, merita sanctitatis, & bonitatis illius apponit, per quem Deus miraculum operatur. Respicens nimirum ad id, quod magis communiter accidere diximus. Aliquando † enim à prophanis & flagitiosis hominibus vera miracula fiunt, sed non nisi divina virtute, & ad confirmationem veræ fidei, vel Dei laudem, & voluntatem ostendendam, aut exequendam, ut nos sæpè in his ipsis regionibus contigisse, cap. seq. probavimus, & latè prosequitur D. August. lib. 10. de Civit. Dei, c. 16. & lib. 83. q. 79. & habetur in cap. multa, c. teneamus, c. prophetavit 1. quest. 1. c. 1. de reliq. & vener. Sancti. D. Thom. 1. p. q. 110. art. 4. ad 2. & 2. ad Thessalic. cap. 2. lect. 2. & 2. quest. 178. art. 2. D. Chrysost. hom. 2. in Matr. c. 7. Viguet. Institut. Theolog. tract. de virt. Dei, c. 10. Sorus 4. Sentent. dist. 42. q. 2. artic. 23. Baptist. Fulgos. lib. 1. memorab. c. 6. de miraculis, Malles malef. quest. 61. art. 10. ad 8. Acosta d. c. 10. in princ. Zerol. qui plures refert, in præf. Episcop. Miraculum, n. 3. & ultra eos Petr. Gregor. lib. 13. de Repub. c. 24. & 25. Rutil. Benzoni. de anno Jubil. lib. 6. c. 24. Franc. Torlet. sup. Joan. & Maldonat. sup. Matthæi, c. 7. Martin. Delr. lib. 2. disquisit. mag. quest. 7. pag. 63. Simon Majol. in dieb. Caniculi. tom. 2. colloq. 2. pag. 112. & seqq. Maluend. de Antichrist. lib. 6. c. 1. q. 5. & seq. & lib. 7. c. 15. & seqq. Camill. Borrel. de præstan. Reg. Cathol. c. 55. Annæus Robert. lib. 1. rer. Iudic. c. 5. fol. 18. Raph. de la Torre. in 2. quest. 9. art. 2. disput. 4. pag. 751. & in 2. tom. de vitii Religio. q. 95. in preclud. disp. 2. Torreblanc. de magia divinat. lib. 2. c. 11. & 26. Pat. Suar. de fide, disp. 4. sect. 3. n. 8. & sect. 4. Ubi de his miraculis agunt, quæ per profanos homines, aut malos, & peccatores fieri solent.

53 Et † simul concludunt, ab hereticis in comprobationem falsæ fidei, & à magis, & à diabolis, & ab Antichristo nunquam vera, solida consistentia, aut proficua miracula facta fuisse, nec fieri posse, sed quaedam dumtaxat præstigia in phantastica, & simulata, semper perniciosa, aut inutilia, ad ludificationem sensuum humanorum de quo etiam præclare tractat idem D. August. in d. Tom. 1. de Ind. jure.

c. teneamus 1. quest. 1. & lib. 3. de Trinit. c. 8. & lib. 18. de Civit. Dei cap. 17. Orig. lib. 2. contra Gelsam: Auctor vitæ D. Bernard. lib. 3. c. 6. & elegantissimè D. Isidor. lib. 8. Etymol. c. 9. cujus verba habetur in c. nec mirum 26. q. 5. & Theat. vit. hum. vol. 5. lib. 4. ex p. 1312. ad 1531. Ubi plura exempla verorum, & fictorum miraculorum con-

54 gessit.

Suprà dictis † adjicere possumus, prædicationem, & conversionem hujus Novi Orbis pluribus miraculis non eguisse, si attendamus celebrem illam doctrinam D. Chrysost. 1. Corinth. 2. dum monstrat, signa Evangelicæ prædicationis jam olim patrata, non illo tantum seculo, sed & futuris fidem peperisse. Quod etiam D. Thom. luculenter expressit lib. 1. contra Gent. c. 6. dicens: Haec autem tam mirabilis mundi conversio ad fidem Christianam, indicium certissimum est præteritorum signorum ut ea ulterius iterari necesse non sit cum in suo effectu appareant evidentè, quamvis non cesset Dominus, nostris etiam temporibus ad confirmationem fidei, per sanctos suos miracula operari. Unde merito disputat D. Greg. in homil. Ascension. & Joan. Jerson. in 2. quest. an hodie sint necessaria vel utilia miracula.

Denique † tertio argumento, desumpto ex 55 delictis, & excessibus ab aliquibus Hispanis commisis, & ex humanis mediis & finibus, qui hanc missionem præcessisse & promovisse videntur, ultra ea, quæ de hoc articulo laetus inferius lib. 3. c. 5. dicere destinamus, nunc facillè respondemus cum Ant. Posevin. 1. tum. Bibliotheca lib. 9. cap. 2. pag. 401. Joan. Boter. in relat. univers. 4. part. lib. 2. ferè per totum. Thom. Boc. de sign. Eccles. lib. 7. cap. 5. in fine, non propterea negari posse hoc opus Dei fuisse, & ex divino ejus impulsu manasse, quod zelum, & pietatem, quæ in eo requirebatur, scelus avaritiæ, crudelitas, & impietas aliorum militum maculaverit. Alioqui † etiam inter Christianos non 56 liceret, vix ullam divinam agnosceret, inter quos vivunt tot peccatores, hæretici multi, plurimi vitiosissimi, meretrices innumeræ. Sanè etenim, quorum † mens in Divinæ Sapientiæ vias acutius 57 inspicit, flores inter spinas, triticum intra paleas, aurum sub terra dignoscent, divinam eo magis bonitatem commendat, quò magis ille rectam & sartam tuetur apud nos fidem, pietatem Regum & Principum, disciplinam Antistitem, virtutem bonorum Christianorum, usum frequentem sanctorum Sacramentorum, Divini Verbi prædicationem, studia scientiarum, lucem atque notitiam Dei, hoc est totius boni. Nec reprobandus est hortus, qui totus non sit triticum, nec palea abjicienda, quæ tota non sit fructus, nec terra illa existimanda est inutilis, quæ universa non sit aurum. Quin & hinc tantò major de misericordia Dei concipienda spes est, quòd inter gentes adeò barbaras tantam fidem plantaverit, fœdas, ut ita dicam, tot animarum aperuerit, Ecclesiam tot Archiepiscopis, Episcopis, Clericis Religiosorum Ordinibus munitam excitaverit, tot item paræcias, Doctrinam Christianam, Scholas & Academiâs, totque Principes viros ibidem constituerit.

Et idem respondere possumus † ad id, quod 58 de avaritiâ divitiarum, & cupiditate nobis obji-

